



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VI. Extincto Zacharia, opus Bonifacio fuit vicariatus continuationem petere
à Stephano secundo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

monachos vel ancillas Dei defendere possunt, nec ipsos paganorum ritus & sacrilegia idolorum in Germania sine illius mandato & timore prohibere valeo. Quod ne quis ad vim aut contradictionem Karoli referre possit, prohibet auctoritas ipsius Bonifacii, qui pietatem ejus multis laudibus celebrat, tum etiam epistolarum Summorum Pontificum Gregorij II. & Gregorij III. ac Zachariae, qui eum & vivum & mortuum laudant, ob cetera quidem benefacta ejus, sed etiam ob auxilium Bonifacio praestitum in diversis causis ecclesiasticis. Praeterea Lupus Ferrariensis in vita sancti Vvigerberti cap. III. Bonifacium laudat quod auctoritatem ecclesiasticam nusquam frangi permiserit, eamque violari non consenserit a Principibus, inter quos diu versatus est. Haec sunt verba Lupi loquentis de Bonifacio: *Fuit enim fidei Christianae cum propugnator acerrimus, tum propagator vigilantissimus, nesciens aucupari favorem Principum foedissimis adulationibus, nec honorem seu rigorem ecclesiasticum mortiferis compendiis ac male dulcoratis refrigereis enervare.* Unde colligi debet legitima seculo illo visa esse quae tempore Bonifacii agebantur in causis ecclesiasticis a Principibus Francorum.

I V. Mittens itaque Gregorius II. Bonifacium in Germaniam, Episcopum jam ordinatum, cum vicibus apostolicae sedis, primum, quod dignitas apostolicae sedis postulabat, eum commendavit Karolo Francorum Duci, cui Martello cognomen haesit. *Pro quibus eum gloriose benevolentiae tuae, inquit, omnimodo commendamus, ut in omnibus necessitatibus adjuvetis, & contra quoslibet adversarios, quibus in Domino prevaletis, instantissime defendatis.* Sciebat enim non aliter posse hominem peregrinum versari inter Francos quam cum consensu Principis, eum praesertim qui aliqua auctoritate instructus esset quae suspicionem novarum rerum injicere potuisset in animum Principis. Ceterum ut essent qui eum favore suo juvarent apud Karolum, Bonifacium per epistolam generalem commendavit Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Ducibus, Castaldii, Comitibus, omnibusque Deum timentibus, rogans praeterea eos uti Bonifacio sociisque ejus alimenta victui necessaria subministrarent. Verum contributio illa, praeterquam quod voluntaria erat, infra mediocritatem subsistebat, quod (ut recte adnotat illustrissimus Archiepiscopus) exigui admodum sumptus sufficerent homini frugaliter viventi & Apostolorum virtutibus amulanti.

V. Queri autem hoc loco potest, an Bonifacio, qui Romani Pontificis Legatus erat, ea fuerit auctoritas, ut ad eum pertineret congregatio Conciliorum, praesertim cum in

mandatis quae Thessalonicensibus & Arelatis Episcopis data vidimus, illud in primis eis tribuatur, ut quoties ita putaverint esse faciendum, synodos congregent in suis provinciis. quae mandata data quoque deinceps sunt Legatis quos post Karoli Magni tempora Romani Pontifices miserunt in provincias. Nam & in epistola Zachariae ad Bonifacium legimus ipsum a Papa petiisse uti sacerdotem quendam mitteret in Galliam ad Concilia celebranda. *Petisti, inquit Zacharias, ut sacerdos a nobis dirigatur in partibus Franciae & Galliae ad Concilia celebranda.* Unde colligi posse videtur penes Legatos fuisse per eas tempestates auctoritatem congregandi Concilia. Verum hanc controversiam statim solvit ipse Zacharias. Nam cum dixisset necessarium non esse ut alius pro hac causa dirigatur in illam provinciam Bonifacio superstitite, qui sedis apostolicae & nostrae illic praesentis vicem, demum addit: *Concilia vero, aggregatis Episcopis provincialibus, ut tibi & ubi tibi rectum videtur, celebranda procura.* Poterat ergo Legatus cogitare de celebrando Concilio, sed ejus ministerium quoad hoc in sola suggestionem positum erat, omninoque auctoritate Principis opus erat ad Concilia congreganda, ut patet etiam ex praefatione Concilii Liptinensis. Quare Vvilibaldus in vita sancti Bonifacii cap. IX. ista recte annotavit: *Cumque Caroli Ducis gloriosi temporale finitum esset regnum, & filiorum ejus Carolomanni & Pipini roboratum esset imperium, tunc quippe Domino Deo opitulante, ac suggerente sancto Bonifacio Archiepiscopo, religionis Christianae confirmatum est testamentum, & orthodoxorum patrum synodalia sunt in Francis correcta constituta.* Item cap. X. *Carolomanum Ducem ad congregandum supra dictum synodorum conventum saepissime concitavit.* Sed tum de hac causa, tum etiam de ceteris rebus gestis Bonifacii in legatione, nihil amplius dicam, quoniam illustrissimus Archiepiscopus ista accuratè executus est in lib. VI. cap. XXIV. XXIX. & lib. VII. cap. XI.

VI. Vicariam sedis apostolicae dignitatem per sex & triginta annos habuit Bonifacius, decursis videlicet duorum Gregoriorum & Zachariae pontificatibus, qui hoc ei munus summa cum ejus laude madaverant. Illis cum successisset Stephanus istius nominis secundus anno D C C L I I. videretque se velut contemni a Bonifacio, qui toto biennio neque nuntium ad eum miserat neque literas quibus ei gratularetur successionem in cathedra Apostolorum, ac nihilo minus vicariam illam potestatem absque suo permisso retinebat, haud dubie adversus illum incanduit, expirasse eam potestatem docens morte Za-

Qij

S. Zach.

de vita
Bonif. cap. 3.
de vita
Bonif. cap. 3.

de vita
Bonif. cap. 3.

de vita
Bonif. cap. 3.

S. Zach.

charia, adeoque caveret ne quid deinceps ex ea præsumeret. Ista ita contigisse mihi collegisse videor ex epistola Bonifacij ad Stephanum: in qua deprecans errores suos, tum tarditatem suam excusans, omnibus modis contendit à Stephano uti sibi continuaretur ea dignitas, multùm obtestatus se nihil eorum prætermisisse quæ conducere putasset ad asserendam Romani Pontificis auctoritatem apud exteras nationes, emendaturum porro si quid minùs bene gestum esset, tantùm ne ipsum ea ignominia afficeret ut tot per annos fixum saltigij regimen sibi abrogaret.

VII. Sed antè quàm Bonifacij verba referam, admonendus est lector, familiaritatis apostolicæ sedis vocabulo, quo heic utitur Bonifacius, intelligi vicariatum Romanum. Testis erit ipse Bonifacius in epistola cxxxv. ad Zachariam: in qua loquens de vicibus apostolicæ sedis sibi commissis, quibus per triginta tum annos ornatus fuerat, ait: *Postquam me ante annos propè triginta sub familiaritate & servitio apostolicæ sedis annuente & iubente venerande memoriæ antistite apostolico Gregorio anteriore voto constrinxi, quicquid mihi lætitiæ acciderat apostolico Pontifici solebam indicare.* Sic etiam fortassis explicanda est vox familiaritatis in epistola xi x. Nicolai primi ad Lotharium Regem Austrasiæ, qua eum rogat ut Rodoaldum Portuensem Episcopum & Ioannem Ficolensem, Legatos apostolicæ sedis, digno honore suscipiat, & familiaritatis eis locum concedat, id est, honorem illis habeat congruentem viris qui familiaritate seu legatione sedis apostolicæ instructi erant, & ut eos Legatorum auctoritate uti sinat. Sic Innocentius III. instaurationi privilegiorum Ecclesiæ Thessalonicensis intentus, uti suprâ adnotavimus, ita scribit ad G. Thessalonicensem, *cujus decessores vetustis temporibus fuerant apostolicæ sedis Vicarij per provincias Illyricianas: Licet autem presatus antistes satis profectò fuerit ex Ecclesiæ suæ dignitate conspicuus, magis tamen utique fuit ex apostolicæ sedis familiaritate præclarus.*

VIII. Referenda nunc sunt ipsa Bonifacij verba, ex quibus constabit illum valde voluisse continuato imperio uti, & omnino accensum contumelia Pontificis animum placare ob eam causam studuisse. *Sanctitatis vestre clementiam intimis ac visceratis obnixè flagito precibus ut familiaritatem & unitatem sanctæ sedis apostolicæ ab almitatis vestre clementia impetrare & habere merear, & in discipulatu pietatis vestre sedi apostolicæ serviendo, servus vester fidelis ac devotus permanere possim, eodem modo quo antè sub tribus præcessoribus vestris apostolicæ sedi serviebam venerabilis memoriæ duobus Gregoriis & Zacharia, qui me semper*

hortatione & auctoritate litterarum suarum manebant & adjuvabant. quod & pietatem vestram agere deprecor, ut præceptum paternitatis vestræ eò melius perficere & implere possim. Nam si quid in ista legatione Romana, qua per xxx. & vi. annos fungebam, utilitatis Ecclesiæ præfata perégi, adhuc implere & augere desidero. Si autem minùs peritè aut injustè à me factum aliquid vel dictum reperitur, iudicio Ecclesiæ Romanæ prompta voluntate & humilitate emendare me velle spondeo. Interea deprecor ut pietas Domini mei non indignetur quia tam tardè Missum meum & litteras ad præsentiam vestram direxi. Sed hoc idcirco contigit quia præoccupatus fui in restauratione Ecclesiarum quas pagani incenderunt, qui per titulos & cellas nostras plus quàm xxx. Ecclesias vastaverunt & incenderunt. Et hæc fuit occasio tarditatis litterarum & appellationis paternitatis vestræ, & non aliqua negligentia incuria.

IX. Mirari autem hoc loco non absurde quis possit, quid est quòd vir insigni modestia præditus, ac morti proximus, quique longissimum per ævum palam professus fuerat contemptum rerum humanarum, nunc timida, ut videtur, ambitione, & sollicita cupiditate legationis, Stephani animum demisso obsequio & inclinata mente mitigare studet. Ista quidem vulgò sunt indicia prave ambitionis, quæ in animos hominum sanctissimorum penetrare non potest. Sed quia etiam sapientibus, ut Tacitus observat, cupido gloriæ novissima exiit, fatendum quidem est superesse adhuc aliquid humani in sanctis illis viris, sed tamen eorum consilia, quæ interdum humana esse prima facie videntur, ad gloriam summi Dei spectare, huc omnes eorum cogitationes tendere, & nihil aliud spirare eos, cum cogitant de acquirendis aut conservandis honoribus, quàm ut ex ea occasione multa pro imperio agant ad gloriam Dei quæ non adeo facile exequi possent si privata tantùm auctoritate agerent. Hilarius Arelatensem Episcopum sanctissimum virum fuisse omnes norunt. Et tamen ille multùm sollicitus fuit de retinenda auctoritate sedis suæ per Gallias. Sed ut ostenderet non id se aliqua prava ambitione agere, Romam proficiscens ad tuendam dignitatem suam, non rheda non equo vectus est, non ambitiosum comitatum duxit neque impedimenta, sed ingressus iter pedibus, in equum omnino non ascendit. Itidem Bonifacius, cum se permulta ad gloriam Dei & ad augmentum Christianæ religionis fecisse intelligeret per sex & triginta annos quibus legationem apostolicæ sedis obtinuerat, multaque adhuc superesse quibus ad optatum finem perducendis necessaria esset continua-

Bonifac. Mogunt.
epist. 91.

Vide suprâ cap.
10. §. 4.

S. Bonifac. epist.
91. & In. 2. Con-
sistor. Gallia
P46. 7.